DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE

OCVLORVM PROCIDENTIA,

Quam

FAVENTE DIVINO NVMINE,

GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ CONSENSV,

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,

COLLEGII MEDICI SENIORE ET h. t. DECANO,

PRO GRADV DOCTORIS,

D. 18. April. Anno M DCC XXII. Horis ante & postmeridiem consuetis,

Publico Eruditorum examini submittet

AVCTOR RESPONSVRVS

HENRICVS GABRIEL SEEBACH,

LONGOSALISSA THVRINGVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis Georgi Jacobi Lehmannii, Acad. Typogr.

VIRIS

PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, PRVDENTISSIMISQVE,

DOMINIS

CONSVLIBVS, CAMERARIIS,

AC RELIQVIS CIVITATIS PATRIÆ

SENATORIBVS,

PATRONIS, FAVTORIBVS,

STVDIORVMQVE SVORVM

PROMOTORIBVS,

OMNI OBSERVANTIÆ CVLTV PROSEQVENDIS,

SPECIMEN HOCCE INAVGVRALE
OFFERT

AVCTOR.



Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

De

OCVLORVM PROCIDENTIA.

Definit. 1.

O Culus eſt illud corporis organon, quo mediante viſio abſoluitur.

Scholion.

Oculi nomen an ab occultando, quia ſub palpebris quaſi latet, vel aliunde deriuetur, hic non ſum ſollicitus: vtilitas enim, quæ ex huius inueſtigatione capienda, mihi admodum exigua videtur. Nec inſtituti ratio concedit, oculorum procidentiam, ſpeciminis inauguralis loco, breuiter tractaturo, circa etymologiam multum hærere. Namque in hoc morbo plura occurrunt, quæ vt maioris momenti, ita & prolixiorem conſiderationem multo magis merentur. Quam ob cauſſam quoque, quot tunicis, humoribus, muſculis, neruisque oculus componatur, ſilentio tranſire conſultius autumo, quam ſterili eorum enumerationi diu immorari. Hinc ſaltim ea, quæ ſua ſe neceſſitate commendant, & ad demonſtrationes propoſitas requiruntur, in medium proferre licebit.

Definit. 2.

Procidentia eſt partis corporis noſtri e ſede naturali dimotio, vt, quæ natura abſcondidit, iam in conſpectum veniant.

Scholion.

Procidentia quoque prolapſus, & Græcis πρόπτωσις audit, quatenus pars affecta procidere vel prolabi videtur, vnde etiam Germani einen Vorfall nuncupant.

Definit. 3.

Oculorum procidentia eſt horum extra orbitam protruſio, vt palpebris vix vel plane non occultari queant, ac inde longe maiores, quam in ſtatu naturali, adpareant, &, licet quoad colorem bene ſe habeant, magnam viſus hebetudinem, vel plenariam ejusdem abolitionem patiantur.

Schol. 1.

Hic affectus quoque prolapſus, & Græcis πρόπτωσις oculorum, item ἐξοφθαλμὸς vocari ſolet. Germani vero, ob adparentem oculorum magnitudinem, eundem allzugroſſe, wiedernatürliche, item Elephanten-Augen adpellant. *vid. Heiſter. Chirurg. p. 500.*

Schol. 2.

Verum enim vero, in hoc morbo oculi, non vi propria & ſponte, de ſede naturali decedunt, ſed, vti ex inferius dicendis patebit, ab alia cauſſa, non in ipſis hærente, protruduntur; id quod etiam vulgus, ſi antecedentes vomitus vehementes, ſternutationes fortiores, aut alios conatus improportionatos, de quibus inferius, inter cauſſas occaſionales, plura dicenda occurrunt, malum hocce ſequitur, optime exprimit, dicens: es habe die Augen zum Kopfe heraus getrieben. Hinc neque per procidentiam, neque prolapſum rem ſatis commode, longe ve-

ro

ro melius per protrusionem oculorum, expressam arbitror. Sed ne ab vsu loquendi recessisse videar, vocem receptam, & auctoritate valoris præditam retinere malui, quam aliam substituere.

Schol. 3.

Auctam autem oculorum magnitudinem in præsenti affectu saltem adparentem esse, neminem latere posse opinor, qui modo perpendit, nos eam non judicare secundum partem bulbi sub palpebris latentem, sed secundum illam, quæ de tunica albuginea conspicitur, seu secundum diuersam palpebrarum aperturam. Hinc si in oculorum procidentia oculi extra orbitam protruduntur, vt maior albugineæ portio in conspectum veniat, bulbum ipsum quoque auctum esse putamus.

Corollar. 1.

Haud itaque difficile est, procidentiam oculi dignoscere a bulbi intumescentia, quæ contusionem fortiorem in momento excipit: vbi quidem oculus interdum quoque extra orbitam prodire videtur; hoc autem, ex ipsius bulbi magnitudine, a sanguine extrauasato, colorem simul naturalem in purpureum mutante, aucta prouenire, in procidentia contra bulbum magnitudinem & colorem naturalem retinere, & ex protrusione situque mutato tantum majorem adparere, facillime colligere licet.

Schol. 1.

Eiusmodi contusionis exemplum mihi Ienæ notare licuit: vbi studiosi cuiusdam oculus dexter, vaginæ gladii mucrone contusus, in momento adeo intumescebat, & a sanguine extravasato, instar vesicæ purpureæ valdeque expansæ, distendebatur, vt palpebra superior clausa, nulla etiam violentia, attolli posset, sed e contrario, ejus ruptio spontanea, & momentanea metuenda esset: tandem vero, auspiciis Excell. Dni D. H. F. Teichmeyeri, P. P. Ienens. Celeb. Patroni ac Præceptoris mei ad cineres vsque deuenerandi, adhibitis roborantibus & resoluentibus, externis & internis, tumor, paucos dies post, subsidebat, visusque ad pristinum statum restituebatur.

Schol. 2.

Minime autem nego, contusionem sæpissime, ob tonum vasorum debilitatum, in dispositis caussam procidentiæ oculorum procatarcticam constituere: de quibus vero inferius plura dicenda restant.

Corollar. 2.

Pari quoque ratione ex dictis adparet, quod procidentia oculorum cum hydrophthalmia non sit confundenda, si concessum, hydrophthalmiam quoque non modo veram ipsius bulbi extensionem, sed & vividi oculorum coloris in liuidum mutationem, cum pelluciditate & perspicuitate præternaturali, a sero pariter præter naturam collecto, orta, iunctam exhibere.

Schol.

Non ignoro, multos esse Medicos & Chirurgos, qui modo dictos affectus confundant, adeoque in vno capite pertractent. Sed quum & caussa & cura eorum longe differat, ne dicam, quod remedia vni commendata, alteri sæpius noceant: eosdem separare non incongruum esse putaui.

Corollar. 3.

Nec minus exinde patet, quod, si hic affectus plenariam visus abolitionem habeat secum iunctam, ab amaurosi saltem differat ratione situs oculorum mutati; præsupposito nempe ex pathologicis, quod amaurosis sit visus abolitio totalis, oculis ab extra bene se habentibus.

Obseruatio 1.

Procidentia interdum vtrumque, interdum vero alterutrum tantum afficit oculum.

Schol.

Vtriusque procidentiam, in Viri cuiusdam Primarii, ac Patroni mei maxime colendi, filio, 14tum agente annum, in tenera ipsius infantia, ex vomitibus fortioribus, ortam, nulloque adhi-

adhibito remedio adhuc curatam, mihi obſeruare licuit. Virginem non minus noui, quæ vtriusque procidentia, licet adhuc leuiori, viſum parum lædente, &, vt mihi relatum, ex ſtrumæ incipientis retropulſione contracta, laborat. Dextrum vero oculum ſolum, hoc morbo correptum, in patria notaui in puella quadam: qui primo, dum ægra annum primum cum dimidio circiter attigiſſet, ſiniſtro paullo ſolummodo maior viſus, indeque neglectus eſt, ſenſim vero, circa annum ætatis ægræ quintum, magismagisque protuberans, omnem medicamentorum vſum ſpernere incepit. Et quum dein inertibus empirici cuiusdam auſibus ægra tradita eſſet, breui tempore oculus centrali ſuppuratione plane deſtructus eſt, vt loco bulbi ſcirrhoſa excreſcentia, ad nucis fere iuglandis magnitudinem, extra orbitam progerminauerit. Quæ iam quidem debitis remediis ſæpius ablata, ſed luna increſcente quoque iterum, cum ſaniei effluxu & palpebrarum eroſione, incrementum capere, & acies ſiniſtri oculi ſuperſtes, iam quoque hebetior reddita, dicitur.

Obſeruat. 2.

Procidentia oculorum laborantes, alii plane non, alii obſcure tantum vident, &, licet vterque oculus afficiatur, vno interdum ſolum, vel diſtinctius, quam altero, obiecta percipiunt.

Scholion.

Hoc differt ratione gradus morbi, qui ſæpe in vno eodemque ſubiecto variat. Sic in priori, ex *ſchol. obſ. 1.* allegatis exemplis notatu dignum exiſtit, quod æger ſiniſtro oculo nihil, dextro autem admodum obſcure, & obiecta ſaltem maiora, oculisue proxime admota, percipere, litteras vero nullas, niſi maiores, quibus v. gr. libri inſigniuntur, legere, & his quoque proportionatas ſcribere poſſit.

Obſerv. 3.

Oculi in hoc morbo præter pupillam, quæ paullo

paullo amplior, quam in ſtatu naturali obſervatur, inſtar ſanorum puri, ſereni, atque illæſi conſpiciuntur, nec dolore afficiuntur, quam diu malum terminos non excedit, nihilo tamen minus extra orbitam prominent.

Corollar.

Hinc cauſſam procidentiæ non in ipſis oculis, ſed paullo profundius hærere, concludere licet.

Obſerv. 4.

Contactui tamen & preſſioni manus non cedunt in naturalem ſitum, ſed fortiter reſiſtunt.

Corollar.

Procidentiam itaque oculorum non dependere a laxitate muſculorum, quæ preſſioni non reſiſtit, patet: ſed contra, tumorem durum, ſimulque indolentem, *per obſ. 3.* ſub iisdem latere, eosdemque protrudere, ac preſſioni externæ reſiſtere neceſſe eſt.

Obſerv. 5.

Per plures autem annos, niſi error committatur, in eodem ſtatu malum hocce perſeverat, *per Schol. obſ. 1.*

Corollar.

Ergo, tumorem illum, qui oculos protrudit, ex principiis fixioribus, minus mobilibus, intimeque ſibi vnitis conflatum eſſe, & ad reſolutionem, ſuppurationemue ineptum exiſtere, ſole clarius eſt.

Obſerv. 6.

Si vero male tractatur, vel ſponte acrimoniam

con-

concipit, facile in cancrum degenerat. *Notantibus Cel. Heistero l. c. ex Hildan. Cent. 1. obs. 1. aliisque.*

Schol.

Quum igitur modo recensita phænomena, eorumque caussas paullo adcuratius considerare, in præsente tractatione maximi sit momenti; omnia vero, quæ ad demonstrationes propositas requiruntur, ex primis principiis demonstrare nimis prolixum foret: hinc eadem per paucas hypotheses præmittere, vel supponere consultum duxi.

Hypothesis 1.

Humores corporis nostri aciditate & visciditate præternaturali præditi, partibusque terreis abundantes, aptissimi sunt ad stagnationem coagulationemue subeundam.

Schol. 1.

Acidum, etiam secundum naturam, in humoribus nostris existere qui negat, sponte chimiæ hospitem se profitetur, quæ idem satis superque demonstrat. Hinc quoque nullum est dubium, quin idem & præter naturam augeri, & multorum morborum caussam constituere posit. Modo enim quis consideret, quod alimenta quam plurima, & potulenta fere omnia, quæ adsumuntur, si non explicite, implicite tamen eodem abundent. Vnde facillime colligitur, quod, si error circa horum adsumtionem, vel in quantitate, vel in qualitate committatur, talis quoque chylus, similesque humores exinde nascantur.

Schol. 2.

Minime vero adsero, acidum purum morbi huius caussam existere; sed si de hoc, vt caussa morbi, sermo est, a potiori fieri denominationem, intellectum volo.

Schol. 3.

Si igitur acido in humoribus nostris locus conceditur, nulla quoque, quomodo viscedo & terreæ partes in illis generari possint, laborat difficultate. Viscedo enim humorum quoque

non modo per adſumta producitur, ſed etiam ab acido, iam in iisdem præſente. Acidum enim coagulare ſulphur & ſoluere terram, ex chimicis notum eſt: hinc ſi cum alimentis acidum ſæpius ingeritur, terreas quoque partes crasſiores vt ſecum rapiat neceſſe eſt, ſicque hiſce non modo maſſam ſanguineam inquinat, ſed & ſulphureas eiusdem coagulando & viſcidiores reddendo, ad ſtagnationem & coagulationem, ſeu cum terreis concretionem aptiores reddit.

Hypoth. 2.

Hi ipſi ſi ſub certa proportione in tumorem durum, indolentem, ad reſolutionem & ſuppurationem minus aptum coagulantur, ſcirrhum adeſſe dicimus.

Schol.

Terram corporibus ſoliditatem, ſulphur vero cohæſionem largiri, ex phyſicis patet. Acidum autem, terram recludens ſulphurque coagulans, ſi interueniat, nexum firmiorem præſtare, neceſſe eſt. Hinc eſt, quod tumores, ex hiſce principiis conflati, ob terræ abundantiam duri, ob ſulphuris vero & acidi commixtionem difficillime iterum ſint reſolubiles Nec ſuppuratio in iisdem facile contingit, quia partes ſeroſæ & ſalinæ alcalicæ deficiunt, terræque abundantia ſulphuris reſolutionem ſimul impedit. Et dolor quoque abeſſe ſolet, quia ſalia non ſufficienter ſoluta, & a terreis ſulphureisque partibus temperata, implicata, ſicque ad dolorem efficiendum inepta ſunt. Certa tamen requiritur proportio: ſi enim acidum reliqua ſuperat, vel tumori iam facto accedit, terramque reſoluit, ſoliditas iterum tollitur: & acidum cum terra remixtum, maiorem corroſiuitatem acquirens, ſulphur quoque deſtruit, ac tumorem vel vlcus, cum intolerabili dolore, malignum, depaſcens, ſaniem nigram & fuluam fundens, odoremque cadaueroſum ſpirans, verbo, cancrum producit. Vnde etiam dependet, quod ſcirrhi tamdiu pro legitimis habeantur, quam diu dolor

abſit,

absit, hic vero si accedat, illegitimorum nomine venire soleant.

Hypoth. 3.

Facilius autem horum generatio in locis glandulosis, quam aliis, contingit.

Scholion.

Glandulas omnes vel secretioni, vel filtrationi, seu depurationi humorum esse destinatas, ex physiologicis constat. Si partes serosæ ab humoribus, visciditate & terreis partibus iam prægnantibus secernuntur, hosce magis inspissari & coagulari necesse est. Filtrare autem crudum a subtiliori separare notat; hinc, si id, quod in filtro quasi remanet, iam partibus coagulabilibus constat, quid impedit, quo minus etiam coagulatio succedat.

Hypoth. 4.

Oculi, in parte postica bulbi circa nervum opticum, multis sunt præditi glandulis.

Sholion.

Harum glandularum existentiam nemo in dubium vocabit, qui modo in vnquam oculorum sectione occupatus fuit, aut eidem adstitit. An vero istæ secretioni, an vero tantum depurationi humorum oculorum sint destinatæ, hic disquirere nolo.

Corollar.

Hinc, per hypoth. 3. facile in his glandulis humores acidi, viscidi, & terreis partibus abundantes stagnant, ac in scirrhum coagulantur.

Theorema I.

Procidentia oculorum oritur a scirrho glandularum in parte postica bulbi, circa nervum opticum, sitarum.

Demonstratio.

Oculi se habent vt sanorum, & nihilominus protuberant, *per obs. 2.* quod caussam morbi non in ipsis, sed

profundius hærere, notat, *per Coroll. obſ. eiusd.* in naturalem tamen ſitum contactui manus non cedunt, ſed reſiſtunt, *per obſ. 4.* quod tumorem durum ac indolentem ſub iisdem latere, eosdemque protrudere, demonſtrat, *per Coroll. obſ. eiusd.* Malum hocce quoque per plures annos perſeuerat, *per obſ. 5.* quod tumorem illum ad reſolutionem & ſuppurationem minus aptum exiſtere, exque principiis fixioribus conflatum eſſe, innuit, *per Coroll. obſ. eiusd.* facile etiam in cancrum degenerat, *per obſ. 6.* quæ omnia ſcirrhi præſentiam indicant, *per hypoth. 2. & Schol. eiusd.* qui in glandulis in poſtica bulbi parte, circa neruum opticum, ſitis commodam quoque ſedem inuenit, *per. Coroll. hyp. 4.* E. Scirrhus glandularum, in parte poſtica bulbi circa neruum opticum ſitarum, eſt procidentiæ oculorum cauſſa. Q. E. D.

Corollar.

Si igitur ſcirrhus procidentiæ oculorum cauſſa exiſtit, qui, licet locum, ad quem accedere liceat, afficiat, vt ipſi immediate medicamenta adplicari queant, nihilominus, omnium practicorum conſenſu, pro tumore maxime rebelli, & difficillime curabili habetur, huius quoque affectus prognoſis facillime formanda erit. Et quia tum acceſſus denegatus, tum oculorum ſenſilitas medicamentorum neceſſariorum adhibitionem interdicit, neminem a veritate longe receſſurum puto, qui eundem, imprimis inueteratum, prorſus fere incurabilem pronunciet.

Scholion.

Minime vero inde quis iudicet, Medico nihil ſupereſſe, niſi vt otioſi huius morbi ſpectatoris perſonam agat, nam, præſtare fruſtra, quam nullum adhibere medicamentum, arbitror; quum, imprimis ſi malum adhuc recens, debitis internis

præ-

præsidiis, optatum curationis euentum plane denegare non ausim.

Theorema II.

Oculorum procidentiæ caussam mediatam proximiorem constituunt humores acidi, viscidi, cumque partibus terreis mixti.

Demonstratio.

Procidentia oculorum scirrhum pro caussa immediata agnoscit, *per Theor. 1.* quem humores acidi, viscidi, partibusque terreis mixti producunt, *per hypoth. 2.* E. hi ipsi mediate oculorum procidentiæ caussam constituunt. Q. E. D.

Corollar. 1.

Quæcunque itaque ad dictorum humorum generationem, accumulationem, stagnationem, coagulationemve aliquid conferunt, illa procidentiæ oculorum caussam mediatam remotiorem constituere, patet.

Scholion.

Caussæ vero remotæ, occasionales & procatarcticæ quoque dictæ, in tres classes, naturales nempe, nonnaturales, ac præter naturales distribui solent. Ex naturalibus huc pertinet dispositio hæreditaria, quæ, si parentes v. gr. scorbuto, calculo, arthritide &c. laborauere, ad caussæ mediatæ proximioris generationem multum confert. Id quod etiam temperamentum phlegmaticum, ob tardum humorum motum, lentorem facile concipiendo, & melancholicum, ob acidi & terræ prædominium, serique defectum præstant. Ex non naturalibus huc spectat aer frigidus ac nebulosus, improuide admissus, item partibus vitriolicis inquinatus, quo pori obstruuntur, humores spissiores redduntur, & ad stasin disponuntur. Nimis vero calidus, transpirationem augendo, sudoremque largiorem excitando, corpus exsiccat, & in di-

ſpoſitis facillime obſtructiones parit. Maxime autem alimenta, chylum crudum, acidum, ac viſcidum præbentia; huc referenda ſunt, vt cibi ſalſi, acidi, muriatici, fumo indurati, halecum & piſcium aliorum frequens adſumtio, caſeus, & alia ex lacte parata copioſius & inordinate adſumta, nec non ſaccharatorum frequens vſus. Cibus autem quantitate nimia adſumtus, chylificationem lædit, & ita quoque cruditates producit. Potus non minus quantitate exceſsiua ingurgitatus idem præſtat: qualitate vero peccans, vt cereuiſia acida & feculenta, vinum acidum ac auſterum, tales quoque humores reddit. Motus excedens, & ſtatim poſt paſtum inſtitutus, partes crudiores cum chylo ad maſſam ſanguineam propellit; deficiens vero humores torpidos & viſcidiores reddit, atque ad ſtaſin diſponit. Quod etiam ſomnus nimius efficit. Vigiliæ vero nimiæ & in multas noctes protractæ, digeſtionem retardant, & ſpiritus nimis debilitando, cruditates pariunt, ac corpus eneruant; quod etiam nimius menſium, hæmorrhoidum, ac lochiorum fluxus præſtat. Horum vero retentio, varias viſcerum obſtructiones parit, & ſic huic morbo anſam quoque præbet. Ex animi pathematis autem moeror & triſtitia, humores coagulando & inſpiſſando, torpidosque reddendo, fomitem huius morbi præparant, & ſi fletus frequens eſt coniunctus, eo magis oculorum morbis anſa præbetur. Tandem ex præternaturalibus ſcorbutus & cachexia, contuſio & inflammatio oculorum, vomitus ac niſus fortior in partu difficili aluique excretione, nec non ſtrumarum, ſcrophularum, aliorumque tophaceorum tumorum retropulſio empirica, hoc malum quam maxime producere valent; quod partim ex *ſchol. obſ. 1.* partim vero rationibus demonſtrari poteſt.

Corollar. 2.

Facillime ex dictis colligendum eſt, ſi cura ſuſcipienda, humores acidos, viſcidos, ac terreis partibus abundantes, temperandos, incidendos, reſoluendos ac educendos eſſe.

Schol.

Schol. 1.

Medicamenta, post purgatas primas vias, felicius operari, nullus erit, qui inficias eat; hinc quoque praesentis morbi curationi purgationem praemittere, non abs re fore autumo. Quemadmodum vero subiecta, quorum aluus difficile mobilis existit, huic morbo magis sunt obnoxia; ita his quoque purgantia vel in forma liquida adhiberi, vel praemissis alterantibus & digestiuis propinari possunt. In forma liquida se hic quam optime commendabunt infusa ex fibr. helleb. nigr. rhabarbar. foliis sennae, cryftall. tartar. aliisque ex materia medica huc eruendis, parata. In pilulari forma extr. rhabarb. helleb. nigr. panchymag. Croll. M. Pil. tartarear. resin. gialapp. scammon. & mercurius dulc. varie inter se mixta, non minus proficua erunt. Nec inepte quoque in pulueris forma, rhabarb. Alexandr. gialapp. mechoacann. diagryd. sulphurat. & similia adhibentur.

Schol. 2.

Hisce praemissis, temperandi, corrigendi, diluendi, simulque educendi fine, decocta lignorum, ex vegetabilibus aperientibus, hepaticis, antiscorbuticis, diureticis atque laxantibus parata, commendari possunt: non neglectis, ad viscidum incidendum, & acidum inuertendum, tincturis incidentibus alcalicis ac resoluentibus, vt tinct. antimon. tartarisata, tartari, essent. lignor. antiscorbut. summit. pini &c. nec non spiritibus huius generis, vt spirit. sal. ammoniac. vinos. spirit. cochlear. s. & vrinosus, &c. varie inter se miscendis. Quibus etiam, absorbendi & resoluendi fine, varios pulueres subiungere licet, quales sunt pulv. cachect. cinnabarin. Wedel. cachect. Querc. antimon. diaphoret. & martial. cachect. Ludouic. lap. cancr. item, ob egregiam simul fundendi & resoluendi mercurii virtutem, aethiops mineralis, cinnab. nat. & antimon. quo humores viscidi incidantur, & aufteri simul absorbeantur, atque ita ad euacuationem aptiores reddantur. Quae omnia vario modo sibi inuicem maritanda, & propinanda sunt; paucis: tota medendi methodus in hoc morbo

bo ita dirigenda est, vt decocta pro potu & vehiculo ordinario, tincturæ & mixturæ mane & post meridiem, pulueres vero circa decubitum adsumantur, interpositis, pro re nata, etiam singulis quadriduis, aut octiduis, pilulis ex mercurio dulci, aliisque supra laudatis paratis, nec non polychrestis *Excell. Dni Præsidis*, hic non satis laudandis. Quibus pro iudicio Medici, cui hic plurima relinquenda, per aliquot hebdomadas continuatis, non dubitandum, si malum adhuc recens, quin & desideratus effectus sit sequuturus.

Schol. 3.

Externe autem simul, praeter sacculos discutientes, cum blanda compressione adplicatos, temporibus emplastr. de ranis c. mercur. Vigon. & nuchae vesicatorium impositum, ad humores viscidos resoluendos, deriuandas, ac educendos, non sunt spernenda. Ab omnibus acrioribus & calidioribus vero quouis modo abstinendum est, ne oculorum inflammatio & subsequens suppuratio excitetur, vel scirrhus latens in cancrum degeneret.

Schol. 4.

Præter spem vero si contingat, ut malum hocce in cancrum degeneret, & debitis praesidiis cedere nolit, tunc plenaria extirpatio sectione suscipienda est: de qua videantur Chirurgi, hanc materiam satis prolixe tractantes, ut *Heister.* l. c. & inter alios quoque *I. A. Fischeri, P. P. Erffordiens. dissert. de tumore oculi sinistri scirrhoso maligno, feliciter extirpato.*

Coroll. 3.

Manifestum hinc quoque est, quod ad diætam attinet, vitanda omnia, quæ *Schol. Coroll. 1. Th. 2.* ex rebus non naturalibus, inter causas mediatas remotas numerantur; & e contrario aerem temperatum, cibum laudabilem chylum praebentem, & simul, si fieri potest, medicamentosum, itemque potum tenuem, animique tranquillitatem esse commendanda.

Hypoth.

Hypoth. 5.

Tumor omnis corporis noſtri canales adiacentes comprimit, &, pro maiori vel minori compreſſionis gradu, transfluxum fluidorum vel plane impedit, vel in parciori quantitate ſaltem eadem transmittit.

Hypoth. 6.

Simili modo quoque a nimia canalis cuiusdam extenſione fluido, per illum vehi conſueto, via præcluditur, ne illud in ſufficienti quantitate permeare valeat.

Hypoth. 7.

Nervus opticus eſt faſciculus canaliculorum, per quos ſpiritus animales, ad viſionem abſolvendam abſolute neceſſarii, ad oculum vehuntur.

Corollar.

Hinc ſi in huius vicinia tumor quidam oritur, idem ſimul comprimitur, & pro diuerſo compreſſionis gradu, ſpirituum animalium affluxus ad oculum vel imminuitur, vel penitus denegatur, ut inde acies oculi vel hebetior reddatur, vel prorſus aboleatur.

Hypoth. 8.

Si oculus extra orbitam protruditur, nervus opticus ſimul ultra modum extenditur.

Corollar.

Extenſio itaque hæcce nerui optici ſpirituum animalium affluxum ad oculum quoque parciorem reddit, *per hypoth. 6.* atque ita viſionem lædit.

Theorema III.

Viſus hebetudo vel abolitio in oculorum procidentia dependet a maiori vel minori compresſione & extenſione nerui optici.

Demonſtratio.

Oculorum procidentiæ cauſſam proximam conſtituit ſcirrhus glandularum, circa neruum opticum ſitarum, *per Theorem. 1.* qui eſt tumor durus &c. *per hyp. 2.* neruum opticum comprimens, atque ita ſpirituum animalium adfluxum ad oculum vel parciorem reddens, vel plane impediens, ut inde neceſſario viſio vel hebetior reddatur, vel prorſus aboleatur, *per Coroll. hypoth. 7.* Nec minus etiam oculus, in ipſius procidentia, extra orbitam eſt protruſus, *per definit. 3.* & neruus opticus vltra modum extenſus, *per hyp. 8.* cuius extenſio ſpirituum animalium adfluxum ad oculum quoque parciorem reddit, & inde viſionem lædit, *per Coroll. hypoth. eiusd. E.* Viſus hebetudo vel abolitio in oculorum procidentia dependet a maiori vel minori compreſſione & extenſione nerui optici. Q. E. D.

Corollar. 1.

Haud difficulter igitur ratio colligitur, cur *per obſ. 3.* in

3. in oculorum procidentia pupilla amplior, quam in statu naturali, conspiciatur. Ex physiologicis enim & opticis notum est, pupillam, nobis insciis, pro obiectorum splendore, magnitudine ac exilitate diuersa, nec non positu propinquiori vel remotiori, se sponte contrahere, ac lucis radios modificare. Si ideo in oculorum procidentia spirituum animalium adfluxus impeditur, radii quoque lucis, licet satis fortes irruant, tamen non debito modo in tunica retina percipiuntur, hinc quoque nulla eorum modificatio fieri potest, sed e contrario prouida natura, pupillam dilatando, visum debilem restituere intendit, solicitatque.

Corollar. 2.

Est itaque hæc visionis læsio procidentiæ oculorum symptoma, quod curato morbo, sponte quoque concidit, nisi malum inueteratum, atque ita per moram canaliculorum nerui optici coalitionem, seu consolidationem præstiterit.

Corollar. 3.

Hinc si morbus hoc symptoma fouens radicitus curari nequit, aciem oculorum superstitem roborandam, & palliatiue saltem, in quantum fieri potest, restituendam esse patet.

Schol. 1.

Ad visum roborantia ex materia medica referuntur omnia cephalica, & in specie commendantur rad. valerian. doronic. chelidon. maior. hb. maioran. beton. euphras. verben. mar. ver. sem. coriandr. foenicul. cubebæ &c. quæ vel inter-

ne, in decoctis & infusis, cum supra laudatis aperientibus & euacuantibus, vel externe in sacculis & cucuphis simul adhiberi possunt.

Schol. 2.

Palliatiue autem quæ aciem oculorum debilem restituunt, sunt perspicilla conuexa, & imprimis in hoc affectu se commendabunt illa, quæ ex vitro viridi parata, quæ nonsolum angulum visorium dilatant, atque ita obiecta, præsenti morbo laborantibus insensilia, maiora, & per consequens sensilia reddunt, sed et, ob æqualem lucis & umbræ coloris viridis temperaturam, visum roborant. Quem in finem quoque iis, qui studiis dediti, libri, quorum folia colore viridi oblita, commendari possunt.

S. D. G.



PRæmia, mi SEEBACH, meritissima laude reportas:
Sic tandem felix exitus acta probat.
Exitus acta probat, queis doctos volvere libros,
Queis Tibi naturam volvere moris erat.
Perge bonis avibus, majores perge ad honores
Laudando nisu: Sic Tibi corde precor.

Optime meritis honoribus Nobilissimi Dn. Doctorandi ita applaudebat

HERMANNUS FRID. TEICHMEYER, D. P. P. in Academ. Ienensi.

MOntibus æthereis Muſas habitare, Poetæ
Finxerunt, aurum ſub ſcoriisque latet.
Scilicet excelſo reſidet ſapientia monte,
Ad quam difficilis ſemita monſtrat iter.
Attamen aſſidua cura conſcenditur iſte
Vertex Aonidum Caſtalidumque jugum.
Nec TE poenituit, FAVTOR DILECTE, laborum,
Artes Paeoniæ quos peperere TIBI.
In ſtudii ſemper ſtadio ferventer iviſti,
Intentus metae non remorante pede.
Hinc & TE MEDICI DOCTORIS agalmate donant
Pierides, TIBI jam rubra tiara datur.

Gra-

Gratulor ex animo partum virtute decorem:
Porro gliſcat honos ulteriore gradu!

Clarisſimi Domini Doctorandi honoribus adplaudit, ſucceſſusque in praxi fortunatisſimos precatur

CHRISTIANUS GOTTOFREDUS BEHRISCH,
Dresdenſis. Med. Cult.